Q. D. B. V.

BIGAM OBSERVATIONUM MEDICARUM

Exercitii Academici Ergò

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,
Medicinæ Professore Ordinario,
Parente Suo Venerando,

Publico Commilitonum Examini
proponit

ALEXANDER CAMERARIUS,
Tubingensis,

In Auditorio Medico,

Ad d. 28. Martii, horis antemeridianis,

ANNO MDCCXVI.

Typis,
JOHANN-CONRADI REISII.

Per Illustri

Atq; Generosissimo DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO HENRICO A GOELNIZ,

IN WALDENSTEIN,

Seren. Wurtenb. Ducis Consiliario Intimo, Illustris Collegii Ephoro, Dicasterii Aulici Præsidi, Civitatis & Præfecturæ Tubingensis Satrapæ,

Undequaq; Splendidissimo,

DOMINO SUO GRATIOSO,

Primitias Hasce Academicas
Cum submissâ sui commendatione,
Nec sine Voto
Salutis & Felicitatis,
Dedicat & Offert

Humilimus Cliens
ALEXANDER CAMERARIUS.



Σ. Θ.

Erax eſt omnis vita Caſuum: præter id, quod ex inſtituto fit, accidunt quàm plurima, dum à ſanitate in morbum labuntur mortales, vel à morbis interdum reſurgunt ad ſanitatem. Hippocratis monitum: nihil prætervidere: vetat ſolùm inhiare raris, vult medicum attentum ad omnia, etiam quotidiana; Suppetit undique quod examinari meretur. Sic autem obſervando & annotando contexitur, quæ nec unius hominis, nec unius ætatis, eſt Hiſtoria Medica: Ita creſcit indies, & fundat artem, manetque norma conceptuum. Facile quidem videtur non expertis, ſcribere hiſtoriolas, ſuis tamen non carere deprehenditur difficultatibus; Ut ſcil. non abundent in ſuperfluis, aut deficiant in neceſſariis, vel aliter rem proponant, ac reverà ſe habet. Quanto magis ipſa phænomenorum, tanquam totidem ænigmatum, reſolutio arduum reputabitur negotium. Interim diſcendum eſt Tironi, & proficiendum ipſo exercitio: poſtulandum tamen inſuper à *B. L.* ut æqui bonique adhuc conſulat tirocinia. *Deus autem miſereatur noſtri, & juvet nos! Ipſius enim providentiæ eſt omne illud, quod præter opinionem ſupra captum ſ. caſu ſ. fato fieri videtur, ad Sui Gloriam, & miſerorum ſalutem!*

CAPUT PRIMUM.

NUnciabatur autumno anni nuperi Studiosis Medicinæ, in vicino pago diem obiisse suum filiam rustici, de quâ inaudiverant, ipsam diu, per urbem quoque, mendicam insolitum circumtulisse ventris tumorem, ut nec gravida tandiu, nec hydropica modo hoc faciliore, potuerit dici. Operæ igitur ipsis videbatur pretium, eò excurrere, ad inquirendum, quid monstri hactenus aluerit tantus abdominis tumor. Advenientibus narrabatur, pauperculam 30. annorum diu per pagos & urbem ivisse mendicatum, bajulantem onus suum, nec nisi à quatuor septimanis lecto dejectam fuisse, queri solitam interdum de ventris doloribus, magis autem de spirandi difficultate, sub finem de hâc solâ. De causâ manifestà talis incrementi nemini quid constare volebat: Erant tamen, qui dicerent, fuisse primo habitam pro gravidâ, quippe fassam, sibi rem fuisse cum quodam, & luisse pœnam in carcere; Cùm verò præterlapso tempore non pareret, nec tamen de cætero ægrotaret, creditam fuisse gestare molam, vel &, variis per quatuor annos suspicionibus & rumoribus incertis, nescio quid vivum. Quæsiti autem parentes asserebant, menstruatam ipsam fuisse adhuc per duos priores molestiæ suæ annos, postmodum autem desiisse purgari; Misisse vel quater in anno sanguinem, parcè quidem, ad aliquale plerumque levamen in respirando.

Itum hinc ad Inspectionem, nam instabat sepulturæ tempus, utut loco minus commodo: Dubium utique erat primò, quid intus fuerint deprehensuri, cùm venter satis æqualiter tumidus, umbilico quasi obliterato, tensus & durus tactu solidi quid potius videretur continere, quàm humidum, nullâ percipiendâ fluctuatione. Interim reliquum corpus valdè macrum, non tamen plenè consumtum; pedes œdematosi modò, sinister dextro multò magis, de quibus tamen referebant adstantes, ipsos demum à brevi tempore intumuisse, per annos prius tumoris expertes, Gangrænosi per cutem ruboris aut livoris externè nihil; in dorso tamen à decubitu excoriatio.

Tandem itaque, præmissâ integumentorum cruciatim incisione, pungebatur obvia tunica fortis, tensa, spissa, & erumpebat statim

pluri-

plurimum aquæ, primò clarioris, mox turbidæ, musto similioris, ferè inodoræ, non graveolentis, cui sub finem albæ particulæ, quasi adiposæ, videbantur permixtæ; Æstimabatur ad 20. mensuras nostrates, magnas, quippe quatuor librarum.

Emissâ tunc aquâ mirum erat non comparere viscera, verùm inquirentibus patuit, nondum penetrasse ipsos in cavum imi ventris; Ergo subjectâ adhuc tunicâ incisâ, & utrinque remotâ, venerunt in conspectum intestina cum reliquis, & clarè constitit, ipsa non natasse in aquâ istâ, nec de cætero à statu naturali abiisse, nisi quòd minora, compressa, & sursum trusa fuerant. Quod & à diaphragmate sursum pulso passi fuerunt valdè coangustati pulmones; per hunc medium ventrem de cætero nihil comparente præter naturam. Per marginem hepatis erat rubens livor; Et super colon lata flavedo. Incisis hinc inde vasis majoribus parcus cruoris effluxus. Tunicarum, quibus conclusæ fuerant aquæ, ductum prosequentibus, non alius æquè videbatur nexus, aut origo talis tantique utris, quàm ad latus uteri sinistrum, ubi & frustrà quæsitum fuit ovarium, cum suâ tubâ, dum alterum in latere dextro demonstrabatur facilè in salvo, nec sine ovulis. Ipse autem uterus parvus, durus erat, exiguæ cùm aperiretur intus cavitatis; præter illum qui huc tendebat vel hinc protendebatur saccum nec præter naturale quid intra se continens, nec aliâ ratione malè affectus.

Tantum est, quod suppetit de fatis quondam misellæ; ad quorum considerationem prius quàm accingar, monendum erit in transitu, cùm dictum fuerit, sæpe visam mendicatum ivisse per urbem, ne quæ oriatur confusio, hanc tamen non fuisse illam puellam rusticam, quæ ante plures annos pariter stipem collegit per urbem, pro satiando, quem utero gerere volebat credi, lupo; Hæc quò devenerit, quæ fata tandem habuerit, expiscari nequeo. Forsan analogus nostræ ipsi fuit saccus; Uti quidem jam dùm *Cel. Lentilius* in Eteodr. sonoris per flexuram sub hypochondrio sinistro compressi coli flatibus vel grunnitum, vel ululatum, verosimilius adscripsit.

Sunt igitur causæ abdomen in tumorem p. n. elevantes multæ & variæ, secundum consistentiam tàm solidæ, quàm fluidæ, etiam flatulentæ, modo vel acuto se habentes, vel chronico. Prioris exemplum etiam auditum inter nos ante sesquiannum; cùm adolescentulæ per noctem repentè a doloribus vehementibus venter enormem

in modum intumuisset, ad mortem subitaneam: hoc quippe aperto flatus magno cum impetu erupit, & in collapso mox abdomine ultra mensuram liquoris fusci vix inventum fuit. Principium extraordinarii ascitico - tympanitici tumoris dedit stomachus perforatus, ex causâ occultâ, cùm præter dispositionem teneritudinis & ætatis de causâ manifestâ non constiterit, quæ veneno æquivalens, quàm comesta pruna damascena, in foro emta.

Tardi autem incrementi, constanter etiam tumidi ventris, causam continentem declaravit mihi pariter inspectio pueri rhachitici, in quo, præter alia rariora in artubus, ad pædarthrocacen spectare visa, hepar amplum, naturali multò majus, & flatu distenta intestina fundarant molestum onus. Quibus alibi tumores quoque mesenterii accessisse leguntur: vid. omninò *Exc. Dn. D. Zelleri* disp. d. gland. p. n. strict.

Transeant plura, in Collectaneis Variorum, & inprimis in sepulchreto *Boneti* obvia. Frequentior inter ventris tumores est dirus *Hydrops*, cujus indè justior est metus & gravior. Et ad hunc spectat casus propositus, non ad illam quidem ipsius speciem, cui simpliciter mansit nomen, quæ aquam habet in cavo imi ventris fluentem, ut in ipsâ natent & macerentur quasi viscera, sed ad alteram, rariorem, quæ *Saccata* vult dici, & peculiari sacco conclusam tenet aquam, eoque hîc uno, simplici, magno utre; Aliàs etiam multiplici, multis discretis majoribus minoribus vesicis, etiam vomicis, composito. Hinc multum isti casui lucis accedet ab historiis parallelis; quales memoratu dignæ legi merentur in egregio promtuario *Eph. Nat. Cur.* quæ ipsas ita tumidarum figuras exhibent, Dec. 2. ann. 8. o. 23. & Dec. 3. ann. 2. o. 61. quibus præter laud. *Boneti* sepulchr. adde *A. Nuckii* Adenographiam, *& Harderi Apiarium.*

Subjectum Hydropis saccati concluditur duplicaturâ peritonæi, procedit â latere uteri, ubi ovarium cum tubâ; unde & peritonæi hydrops audit & ovarii. Occasione quorum dum historias Istorum colligo, necdum invenio nisi fœminas, quæ saccatum, utroque modo, tulerunt hydropem, in plerisque omnibus non sine nexu illo & progressu ab alterutro uteri latere; sc. ut alter saccum fundaverit in ipsâ tubâ, alter ab uteri latere cum suis appendicibus in connexum ipsi peritonæum & cavernosum ejus aqualiculum penetrare voluerit. Conferantur Laudd. Virorum *Mercklini*, *Sponii*, *Zwingeri*, *Gahrliep*, &c. lo-

cis

cis citatis obviæ historiæ; ubi etiam occurret aquæ adhuc plus, & longius gestationis tempus. Accedat iterum observatio, quam in diss. d. Vas. Lymph. Admin. *Exc. Dn. D. Zellerus* proposuit. Viri tales ita tumido ventre, ut crederentur hydropici, sed quorum post mortem sectio exhibuit tumores in mesenterio grandes, multum sebaceæ pinguedinis, &c. à D. *Hiærne*, C. *Raygero*, in E.N.C. 4. o. 166. & 2. 2 o. 26. describuntur Ad analogiam tamen hydropis saccati referri merebitur Natta *Gabrielli*, s. stupendus brachii tumor in E. N. C. 3. 2. & 4. descriptus, inter cutem & musculos membranæ adiposæ lymphâ adauctæ & infarctæ. Memorabilis etiam ingens in sene sarco-hydrocele, diu conclusæ & toleratæ aquæ in membranarum testiculi interstitiis, diu dilatæ operationis, exemplum, quod proposuit *Exc. Dn. Patruus* in curiosiss. Dissert. Epistol. Taurin. nr. XIII.

Causam occasionalem manifestam ex adstantibus suppeditare poterat nemo: Intelligendo ortum aliàs tumoris talis à prægressâ & perpessâ fortè violentiâ externâ, per lapsum, ictum, aut similem injuriam quamcunque: Emansio fluxûs menstrui, generale aliàs muliebrium fatorum principium, hîc non fuit ex antecedentibus, sed inter consequentia potius; quanquam non desit in historiis, quæ principium deduxit à terrore, cùm menstruaretur, ad suppressionem per quosdam menses, ut postmodùm tamen recurreret fluxus. Hîc suspicio graviditatis & constans tamen menstruatio, minus bene cohærent; Ut fieri amat, cùm in plebe diversi diversa deponentes rem magis confundunt, quàm declarant. Interim occasione præsumtæ, vel, utut frustrà, creditæ imprægnationis quæri pro fundandâ tali aquarum secessione & collectione possit: Utrum frustratio conceptûs inferre possit ipsius principium? Sive in termino à quo, per distractionem membranarum, s. altero per quem, in tubarum obstructione?

Modus fiendi secundum circumstantias non tàm arguit hîc massæ sanguineæ vappam, nec illa viscera, quæ in ascite aliàs laborare solent frequentius; ubi disquiri meretur, utrum ex portæ venâ, vel cavâ derivandum videatur serum: sed particulare magis loci vitium subest concluso malo. Clarior credebatur rei hujus conceptus, cùm & uteri, & peritonæi vasa innotescerent per diligentiam anatomicorum lymphatica, siquidem in occultis, casu etiam fortuito, contingere possit eorum rupturæ hiatus, pro constituendo fonte. Non minus bene meritus fuit *Lowerus* experimento suo, in declarandâ hydropis

genesi

genesi cujuscunque, cùm observaret à ligatâ venâ non modò vasa intumescere lymphatica, ductus conglomeratarum glandularum excretorios fundere plus sui liquoris, sed & in cavo, & interstitiis partium fieri quasi hydropem artificialem & extemporaneum: Ut proin venoso etiam in duplicaturâ peritonæi ad ovarium sanguini stricturis, obstructionibus, positum obstaculum inferre possit talem fluidi liquidioris, tenuioris saccò, simplici magno vel minoribus multis, concludendi secessum. *Bonetus* ex ipsius aquæ hydropicæ conditione diversâ diversam hanc scaturiginem voluit distinguere: Lymphaticorum vasorum reserationem ipsi ostendit aqua limpida, coloris expers, aut leviculè tincta; cum à venarum poris reclusis exsudans serum modò sincerum, modò aliis humoribus comistum, urinæ colorem exhibeat. Musto turbidiori comparatum fuit istud serum, sed uti dictum, post tot demum annos ex suo sacco emissum. Facto autem tali secessu, constituto semel fonte, tum ipsius porrò effluxum, atque adeo tumoris tardum quidem, prævalentem tamen progressum continuavit, promovit, non modò manens causa, aperti pori, hiantia vascula, patulæ viæ, dum urget à tergo sanguinis motus, & concedunt usque membranarum interstitia, sed etiam tanto temporis spatio ad talem locum non tàm quæsitum, quàm inventum, quasi re bene gestâ, nitens & vergens consuetudo quædam invaluit; Ipsis simul interim membranis non tàm extenuatis, quàm potiùs incrassatis: quod & aliàs obtinere constat vel ex eâ quam reliquit dissertatione *B. Avus*, cui tit. Anat. Hydropicæ.

Rationes Phænomenorum ab inspectione ventris jam patent utcunque: Et melius valuit, & diutius circumtulit paupercula suum onus, ac hydropici, quia suus non fuit naturæ fatiscentis hydrops, quia salvis adhuc visceribus ortus, quia quò minus inundaret viscera densiusculis prohibebatur tunicis, quia liquor ipse veniens ex fonte non æquè impuro in corruptionem minus propendebat. Doluit olim ventre interdum, quo quidem modo non satis constat; Interim ut videtur vel à gravatione, vel à distractione; Quanquam per accidens conjungi etiam possint aliæ torminum causæ, ut errores diætæ, ut lumbrici, quales *B. Reiselius* simul observavit in intestinis fœminæ hydrope ovarii laborantis ENC. 2. x. o. 27. Dyspnoica fuit, bajulavit enim onus grave, pendulum, & ab utre tantum occupante spatium sustinuit distractionem costarum, repulsionem viscerum, coangustationem spatii quod debebatur respirationi, ita compressi pulmones plenè inflari non

pote-

poterant. Interim laudavit Venæsectiones, utut parcas, frequentiores tamen; ab his enim æger per pulmones coangustatos trajectus sanguinis fiebat facilior, cum minueretur trajiciendi quantitas, aliàs accumulatione sui ægrius exantlanda, cordi plus laboris causatura. Menstruari adhuc aliquandiu potuit, cùm uteri corpus & latus alterum fuerit in salvo; Nec hoc mirum, siquidem cum famoso tali hydrope saccato adhuc concepit & peperit non una, non semel, fide laudd. historiarum. Pedibus diu ambulavit non tumidis, quandiu liber ab iis ascensus per cavam in cor concedebatur sanguini, cùm nec deplueret serum, quippe conclusum. Donec sub finem ipsa moles tumere faceret crura, ut moles fœtûs solet gravidis; quod confirmatur tumore sinistri majore, cujus latus desuper magis periclitabatur, molestabatur.

Hanc ita resolutam Historiam sequitur modò usus tàm Semioticus, quàm Therapevticus. Discimus ex frequentioribus cadaverum inspectionibus occultiorum subjecta & causas morborum, terminamus varias sæpe vanas per vitam habitas suspiciones, prout hîc factum, ubi molæ & cujuscunque vel solidi vel vivi incarceratio ultrò cadit; In posterum ex ipso talium observationum numero, habitâ sparsim annotatorum antecedaneorum, concomit. & consequ. phænomenorum ratione, propria saccati hydropis signa eruimus, & colligimus, ut in casum quemcunque applicari possint, & distingui tàm ab ascite simpliciter dicto, quàm ab aliis tumorum speciebus.

Non sine prognostico tamen, morbi lento quidem pede tardoque gradu, gravi tamen fato, procedentis ad sui fastigium, donec vel accessu causæ cujusdam extrinsecæ, lapsu fortè, vel internâ quasi maturitate, incipiente seri corruptione & prævalente, funestè terminetur, firmis quondam naturæ viribus tandem moli succumbentibus; quanquam & ipsæ ægræ perversis consiliis suum videantur accelerare fatum: prout ostendit jam olim Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 8. obs. ult. Ill. Præses *Schrœckius*. Equidem quod obscuri aliàs, vel tandem cogniti morbi curationem concernit, præter generalia sanitatis præsidia, si ullibi in hydrope, certè in tali casu locum habere, aut opem promittere videtur paracenthesis. A. *Nuck*. l. c. *experientiâ*, scripsit, *didiceram, illas*, sc. tumidas, *quarum facies colore grato est rosea, quæ satis benè comedunt, bibunt, alvum deponunt, urinamq; sine notabili molestiâ excernunt; quarum corpora nec purgantibus, nec diureticis, nec diaphoreticis multum auscultant, ordinario affectu uteri, tubarum vel ovariorum laborare hydropico, lymphamq; peculiari sacculo inclusam, nullâ arte extrahi posse.* Observarat enim aquas ex

ſacculo tali punĉto parce admodum prodiiſſe, ſuſpicatus hinc ipſas abdominis potius indè demùm viſcera inundaſſe. Quod in caſu grandiorum fortè hydatidum punctarum fieri utique poſſet: In noſtro caſu non fuiſſet metuendum. Ut proin huc potius quadrent ſequentia ejus verba de concluſis duplicaturâ peritonæi aquis: *In hâc hydropis ſpecie longè tutius expeditiusq́, paracentheſin inſtitui, quàm quidem in aliis hujus naturæ morbis*, ubi ſcil. contra indicant vitiata viſcera, &c. Spem faciunt iſta, ſed nec eam fundatam ſatis; cùm fons non obturetur. Cum ſtupore legitur in ultim. ENC. tomo cent. 4. o. 172. toties adminiſtrata operatio, emiſſa tanta aquæ, purulentæ quidem, quantitas, ultra 720. libras decem menſium ſpatio, nec tamen exhauſtus hydrops ſaccatus, repletis toties iterum, quibus conſtabat, diſcretis tumoribus. Ut in omnem caſum de agnoſcendo tempeſtivè, coercendo fortè intra terminos, quanto magis de tollendo, hydrope ſaccato futura ſit conſultatio perquam ardua, ne triſtem incurabilium augeat numerum.

CAPUT SECUNDUM.

OBtulit mihi hoc anno ſub februarii principium Chirurgus ex vicino pago extremum digiti articulum, quem ajebat fuiſſe ancillæ violenter avulſum. Dignus primo ſtatim ejus conſpectu viſus fuit hic caſus, quem audirem attentiùs, auditum conſignarem, quin & conſignatum modò publicè proponerem. Quod ille igitur narravit, huc redit. Inſeruerat ruſtici ancilla manûs ſiniſtræ pollicem internodio arctiori duplicati funis, quo ligatus ad præſepe ſtabat bos, cùm hic ſolvi, vel duci, renuens caput ex improviſo converteret in latus alterum vi tantâ, ut ipſa fruſtrà renitens ſe tàm cito extricare non potuerit, ſed primum anteriorem dicti digiti articulum uno impetu abreptum hoc ipſo perdiderit, & hinc ejulabunda currendo properaverit ad ſuos clamitans, totam ſe amiſiſſe per bovis violentiam manum ſuam. Vicinus ergo chirurgus ad curandum pollicem mutilum citò advocatus ipſe eſt, qui portiunculam altero mane adhuc invenit in ſtabulo, eamque poſt paucos dies exhibuit & communicavit. Qualis tum mihi fuerit viſa, modò deſcribam; dein & puellæ fata ſubjungam. Magnitudo primò videbatur ferè minor quàm pro ætate ruſticæ jam adultæ, aut alterius digiti hoc fuiſſe extremum: Verùm ſubſtantia ipſius jam fuerat contracta & corrugata, non corrupta tamen, nec putreſcens, nec fœtens, ſed exſiccata. Unguis lividus; pulpa rugoſa, quaſi perſpicua; Cæterùm omne hoc ceu ſtudio

parum

parum obliquè abſciſſum, non lacerum inæqualiter; cum ſuo intus oſſiculo integro. Præcipuum autem Notabile fuit propendens ab inferiore evulſi hujus apicis parte, cui firmiter nexa hæret, chorda quædam ſatis craſſa, denſa, fortis, etiam exſucca quidem jam & contracta, lumbrico tereti ſimilis & æqualis, ultra quadrantem ulnæ adhuc longa, ſed à pollice longo tractu pulcre flava, quaſi ſuccinea, glabra, clara, per reliquum obſcura, fusca, & inæqualior. In latere externo ejusdem avulſæ portiunculæ non ab oſſe ſed à carne dependet altera chordula, à priore benè diverſa; multò enim minor eſt, brevis admodùm, inſuper valdè gracilis, parum ultra duos transverſos pollices longa, filo vix craſſior, latiuscula, pallida, interim etiam adhuc ſat firmiter adhærens.

Sed ab eo, quod deperditum eſt, & cujus jactura modò eſt irreparabilis, ad id, quod ſupereſt, cujus conſervationi erat ſtudendum. Mutili pollicis curatio, quantumvis ob extractam chordam valdè ſuſpecta, non malè tamen ſucceſſit, nec difficulter, caruit gravibus ſymptomatibus, ut cito inciperet ancilla diſcere digitis indice & medio ducere fila. Uti enim non magni ab hero fuit æſtimatum vulnuſculum, ita nec puellæ longum à laboribus domeſticis vacandi tempus fuit conceſſum: Ut plus habeat curioſitatis medicæ hic caſus, quàm chirurgo ferat præmii vel ſoſtri. Liceat tamen reflectere ſuper ipſum, quicquid videatur incuriis, & tentare variorum, quæ in eo occurrunt, reſolutionem notabilium.

Subjectum ergo ſolutæ in hoc caſu unitatis, non ſine deperditione quâdam ſubſtantiæ, eſt Pollex manûs ſiniſtræ, mutilus ſecundum ſui dimidium; ſiquidem abſolvatur partibus duabus, & reliquum quod ſubeſt ſpectet ad metacarpum. Portiuncula avulſa continet extremum ejus oſſiculum, cum pulpâ ſubtus, & deſuper ungue, adeoque etiam cum extremitatibus vaſculorum huc terminatorum. Chorda ipſi adhærens, ab eo pendula, fuit *Tendo* longus & teres Muſculi Flexoris, ab iſto quippe pollicis articulo protendi & excurrere tanquam finis & cauda ad ventrem muſculi, jacentis juxta ductum oſſis brachii, quod radium vocant, deſcribitur ab anatomicis, & repræſentatur in ipſorum tabulis. Breve & gracile duriuſculum tamen filum, quod à latere externo pendet, *nervum* auſim dicere, ſi fibras per illud liceret diſtinguere, quarum defectu, cujus iſtam dicam laciniam, dubius hæreo. Dum igitur cutis, ligamentum, quo nectuntur digitorum phalanges, & quicquid fibrillarum & vaſculorum circumcirca eſt, paſſum fuit in ipſâ articulatione lacerationem & avulſionem à ſubjectâ manu; tunc tendo ille non hoc ſed procul hinc in bene remoto loco demum disruptus eſt, non ubi terminatur, ve-

rum ubi oritur, fortius adhærere visus ossi, quàm cui tamen continuatur musculo, distracto elatere partis tenacis, donec violentiæ causæ cederet in parte, qualis hinc arguitur, debiliore.

Causa notoria fuit infortunium, cùm ex improviso vis major bovis indignabundi validè niteretur in adversum: Determinationem violentiæ hujus externæ, sive, quanto pondere appenso fuisset opus ad avellendum à corpore hunc pollicis articulum, ad æstimandam per libras vim ipsi illatam, quin ad evincendum in genere, quantum superet percussionis impetus vim gravitatis simplicis, philosophis modò mechanicis relinquam, quos tamen inter vel ex hoc capite laudari meretur *P. Lana* in suo naturæ & artis magisterio. Interim hic chordæ firmæ & robustæ non minus fortis & arctus cum osse nexus fundat proximè potentiam movendi digiti. Mobilitas in contiguorum consistit articulatione ossiculorum, sic & apex cedere, flecti potest & moveri: Vis movens radiat è cerebro per nervum in musculum ita, ut terminetur ultimò ad tendinem articuli mobilis. Respectus quidem nervi ad fibras ventris, & hinc tendinis, quâ scil. tàm divergant quàm coeant ratione, oculos fatigat anatomicorum, nihilominus ex pathologicis paulo post allegandum phænomenon, commune sc. læsis nervis & tendinibus fatum, probat, non simplicis ligamenti rationem sustinere tendinem, sed tueri dignitatem partis nervosæ. Hîc si placeat in conflictu excurrere ad vexatissimum punctum physiologicum, quomodò fiat motus animalis, quis satisfaciet dubitantibus: Nervi utrum se habeant ut tubuli; musculus utrum abbrevietur ab influxu fluidi spirabilis vel liquidi? Vel num solidæ fibræ potior videatur vis & ratio? Si ascendatur altius ad vim in & à cerebro juxta nutum voluntatis illa omnia determinantem, tum res pro planè desperatâ erit habenda, si audias *Cel. Boerhaven* Instit. §. 19. 316. Illud manebit tamen, musculi caudam, ipsos de quibus hîc sermo tendines, habere se ut funem ad os, cui nectuntur, quod trahunt. Nisi quis probet illud heterodoxum: Musculum non esse motûs organon; quod vindicent de hâc staticâ post *Borellum* & *Sturmium* solliciti.

Cùm itaque robur quo pollet præ cæteris digitis pollex in suis fundetur musculis; Tum ab ab iisdem p. n. affectis dependent tot etiam eorum & varia phænomena pathologica. Dictæ chordæ cum suis sociis inquietudo est famosus ille in malignis motus, quem manus in exploratione pulsûs simul observat, tanquam subsultum tendinum, mali ominis, dum tragœdia luditur in afflicto & periclitante systemate nervoso. Quin hæc musculosa vis est, quæ in summo spasmorum gradu

in

in ipso epilepsiæ paroxysmo, pollicem contrahit, contractum tenet, & adstantibus resistit, ut ægrè ipsum extrahant, tendant, cùm citius ita solvi paroxysmum prætendunt. Quidquòd interdum non minus tristi fato non saltim motûs, sed & causæ subjectum est in extremo, unde sub sensu ascendentis auræ, sive per spirituum refluas undas, sive per oscillationes fibrarum tremulas, incipit paroxysmus caducus, utinam ligaturâ semper intercipiendus, cauterio constanter præcavendus. Cæterùm, quàm afflictio non solùm in partibus nobilibus, sed & in extremitatibus digitorum manûs non soleat subsistere, quin extendatur ulterius, hîc per brachium ad corpus, habito item respectu ad eum in dicto casu simul evulsum fibrarum terminum, pollicis unguem, exemplo possit esse paronychia, si quando intimius tendinem, periostium afficiat, utpotè acriter dolens, febrem accendens, ut vel frustra renitentem lecto figat; sc. hoc est reduviam curare non simplicem. Et quàm gravia minatur punctura, utut videatur levis, si digitum quoque non tàm aliâ sui parte, quàm nervum ejus aut tendinem præcisè feriat? Intensus dolor & gradus invalescentis inflammationis præsentaneum sæpe gangrænæ inferunt periculum. Constat id tristibus infelicis venæsectionis casibus, si quando subjectus medianæ tendo bicipitis malè fuerit punctus. Sc. dissectum plane nervum & tendinem, quibus jam commune ferè dictum fuit hoc fatum, minùs metuunt chirurgi, quàm secundum aliquam modò sui partem vulneratum: quanquam enim prior casus privet partem ipsis respondentem motu & respectivè sensu, nisi quid suppleant vicini; Alter tamen graviorem nervoso generi, & per hoc reliquo corpori infert afflictionem. Hoc B. Præs. *Volcammeri* fuit in E N C. 2. 5. 155. Nervos læsos nisi dissecueris, aut adusseris, convulsiones exinde orituras esse. Famosa hinc sunt articulorum vulnera, ob consensum & progressum, qui se latius extendit: Uti quidem inter nos quoque Juveni vulnus carpo externè in ipsâ articulatione cum cubito inflictum, cum magnâ sanguinis jacturâ, flexoribus digitorum exteriorum partim discissis, partim semilaceris, superveniente febre vulnerariâ non extinguendâ malignâ, fuit lethale, ipso ad thoracem usque brachio comparente gangrænoso. Quò magis habent, de quo gaudeant, quibus impunè cessit lædi talibus partibus. Inter operationes chirurgicas est excisio partium corruptarum, & quanquam interdum non terminet malum, aliàs tamen non caret successu. Sc. ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur, quod nullâ servari arte potest, & insidiatur vitæ totius. Sic exempli gratia

in ENC. 3. ann. ult. est obs. *B. Wurfbain*: pollex pedis dextri gangrænosus, feliciter separatus in viro, septuagenario majore; quanquam & ejusdem anni o. 146. *D. Riedlini* mereatur legi, de digito pedis maximo feliciter servato. Quâ quidem occasione nec illud memoratu indignum videtur, quod nobis exhibuit Juvenis, cui index dextræ obliquè transversim per os ipsum vulneratus, ut parum adhuc à parte internâ hæreret pendulus, ut servari posse vix sperasses, quem imprudens fortè resecuisset, vivæ parti per opem chirurgicam fuit redditus, conjunctus, consolidatus, ut adhuc, minus quidem agilis, numerum digitorum compleat, usumque præstet utcunque. Sed ad mutilos iterum digitos: Septuaginta principes amputatis manuum & pedum summitatibus, pollicibus, collegisse sub mensâ suâ ciborum reliquias, confessus legitur in *libr. Judic.* cap. I. qui vicissim detruncatis pollicibus mulctatus fuit, & mortuus dicitur in urbe, posteà demum expugnatâ, adeoque dubiè, an mutilationem istam habuerit mortis causam.

Parallelismum Historiæ nostræ subministrant ENC. Dec. 3. Ann. 5. O. CII. ubi recensentur fata chirurgi juvenis, cui simili casu digitus index, funiculo tenui circumligatus, circa medium articulum jumenti quod manu ducebat, impetu fuit evulsus, ut pariter avulsam hinc sibi totam manum clamitarit. Hujus etiam articulo dicitur adhæsisse simul extracta, ultra dimidiæ ulnæ magnitudinem, chorda quædam, pro trunco majore nervi cubitalis ibi habita. Narrat hâc occasione amicus, cùm ab exploso, & simul disrupto, sclopeto, abriperetur viri pollex totus, etiam tendinem extensoris ad digiti longitudinem fuisse evulsum. Ad famam autem hujus mutili digiti sparsim memorantur casus plus minus consimiles; qui modò transeant.

Et vi quidem tantâ fuit opus ad chordam sanam sanæ parti firmiter hærentem evellendam: Simplicioris & nimis quàm facilis extractionis etiam exempla suppetunt, verùm aliter se habentium nervorum & tendinum, sc. putridorum & corruptorum. Utpote juxta ductum eorum scandit labes sphaceli, altius sæpe intus, quàm in cute comparet extus. Grave illud sphaceli, ab halluce pedis incipientis, fatum acutum aliàs & brevi funestum, ab amico per literas fuit descriptum raro modo, tardo sc. motu progrediens in sene, cùm fortiter resisteret natura, interim autem protraherentur ex tractu pedis talium laciniarum longiuscularum, filorum, chordarum, una post alteram; cum altero adhuc paradoxo magis phænomeno, sc. terminati spontè sphaceli, postquàm satis partium mollium lentâ, siccâ putrilagine, & ossium carie, fuisset

absum-

absumtum, ut separato & excusso emortuo quod supererat vivum obfirmare se potuerit, & consolidare sub genu mutili sui pedis extremum.

Effectus mutilationis non fuerunt multi nec magni, sed admiratione potius dignum est, brachium sustinuisse violentiam tantam ac talem, absque eo, ut pateretur vel inferret corpori quidquam eorum, quæ modo tàm febrili, quàm spasmodico læsiones nervosarum & tendinosarum extremitatum consequi non paucis speciminibus fuit declaratum. Si avulsio portiunculæ transiisset impunè, ac patulum vulnus etiam ampliusculum interdum præ parvo & angusto minus infert periculi; evelli tamen chordam plus importare videretur. Certè tàm longus est tendo, ut ex musculi ventre extractum & abreptum fuisse oporteat: Hunc turbas non dedisse, præter spem omnino evenit. Non potuit non lacerari vasculorum & fibrillarum copia: Cur hæ non irritarunt jugiter, valide? Cur non stillarunt illa, quod extravasatum rueret in corruptionem? ut vel hinc per sinum aliquem diu multum materiæ purulentæ vel saniosæ flueret antrorsum; vel elevaret ibi in brachio tumorem quendam aperiendum? Quod non factum. Ipse quidem actus intimum tulit doloris sensum, quem ejulatus satis declaravit; & in progressu ad tactum chirurgi explorantis juxta tractum illum brachii interiorem versus flexuram cubiti ægrius id ferre, querelas movere, & cum citò fila trahere inciperet, stuporem quendam pati solebat: Verum hæc omnia non eo gradu, nec pro proportione, ac importaret læsæ partis & læsionis ipsius conditio. Utrum laceras per distractionem & avulsionem fibras natura fert levius, aut unit facilius, ac alio solutæ unitatis modo læsas? An profuit, fuisse tectum, per modum cuniculi subcutanei, locum, unde evulsus tendo? Et exclusum aeris accessum? Superest, ut multum tribuamus constantiæ & robori naturæ, cùm ætas & duri vitæ generis consuetudo faciliorem hîc tolerantiam, feliciorem curationem promittat; Et suum quoque tribuamus dexteritati chirurgi, benè deligantis, antrorsum magis, & lenibus compressionibus saccum subcutaneum præcaventis.

Sic pervenitur ad Curationem. Opus quidem laudat artificem: In eo sunt præcipuæ partes naturæ sanantis, sunt tamen & suæ artis opem ferentis. Quantum ex discursu percepi, multo apparatu illa non constitit. Quod omnium rerum primum dicitur, hîc fuit observatum; sc. vocari & venire chirurgum in tempore, ad vulnus recens. Sub adventum non fuit opus ischæmis, s. sanguinem sistentibus, cùm non multum ejus eruperit, etiam in progressu novus fluxus nunquam supervenerit;

rit; ſc. arteriolarum graciles ramuſculi diſtenſi, diſcerpti, in ſe reſilientes erumpentem terminarunt. Inprimis ſibi curæ fuiſſe dixit Ille, nudum trunci oſſiculum obtegere, obducendo ſtatim & in ſingulis deligationibus, quantum licuit raro inſtitutis, cutem antrorſum, ope emplaſtri ad fracturam, ſub digitali operculo præſtantis vices ſuturæ incruentæ, & firmantis etiam articulum à diſtractione infirmum, cujus in flexurâ ad volam cutis quoque lacera. Defenſivum à manu ad brachium fuit ſpir. vini camphor. non epithemata, cùm abeſſent & emanerent graviora ſymptomata. Utrum aliquid interceſſerit ſympathici, non ſatis conſtat, ſuſpicari tamen licet: Si vel fraxini lignum admotum trunco, vel pulv. ſympatheticus inſperſus parti avulſæ, transmittatur; dum amputatos artus alii de camino ſuſpendunt, hîc in loco temperato ſiccam ſervari particulam conſultum fuit. Sub his non malè proceſſit curatio, ſine dolore notabili, ſine accidentibus, protracta tamen ultra menſem. Tùm cutis craſſa circumcirca abſcedens locum faciebat novæ ſuccreſcenti, extremus verò apex habebat quid luxuriantis carnis, alumine uſto abſumendum. Curatione tunc ad finem tendente fuit etiam hoc ruſticæ propoſitum, ſed ad quod ab ipſâ confuſè fuit reſponſum: Qualiter ſe habere ipſi videatur ſuperſtes pollex truncus. Etenim inſigne aliàs paradoxæ ſenſationis exemplum obſervatur plerisque ab amputatione artuum, ut habere adhuc putent partem ſui, quamdiu eſt quod amiſerunt, nec habere ſolùm, ſed & dolere perindè, ac cùm haberent adhuc olim: Uti quidem in ſpecie de clavo pedis dudum amiſſi longas adhuc auditas querelas fuit relatum; quid quòd podagricus quondam inter nos amputato brachio nec à chiragrâ poſtmodum vixerit immunis, & ad finem vitæ ſervarit ſæpe dolentium digitorum quibus carebat ideam. Cæterùm quid in hoc caſu feciſſet quicunque alius, vel judicaſſet faciendum, modò tranſeat: Cenſor æmulus in altero pago ſtatim terebinthinam melioris notæ fuiſſe inſtillandam dixiſſe fertur: Olei quidem terebinthinæ, uti & tincturarum balſamicarum, vernici exquiſitæ tenui analogarum, laudes læſis tendinibus, in vulneribus articulorum, paſſim reſonant. Tandem parallela ex ENC. citata hiſtoria modum curationis quidem non exprimit, ſucceſſum tamen ipſius recenſet quoque felicem, nec ſtuporem, nec paralyſin, manus paſſa legitur, ſed motum & ſenſum ſervaſſe planè expeditos & integros. : Ut in laudibus & gratiis etiam hic terminetur diſcurſus.

TANTUM!

SOLI DEO GLORIA.